

*Resp.* *Dist. ant.* Quaecumque audiet, procedendo, loquetur, *conc.* quaecumque audiet, discendo, *nego ant.* Spiritus Sanctus per suam processionem, accipiendo naturam divinam, recipit etiam omnium rerum cognitionem, quae cum ipsa identificatur.

## CAPUT II.

### *De modo cognoscendi SS. Trinitatem.*

**Q**uaeres 1. *Utrum mysterium SS. Trinitatis possit ratione naturali demonstrari?*

*Resp. Negat.* Ait enim Christus, Matth. 11. *Nemo novit Filium nisi Pater, neque Patrem quis novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare.* Ergo mysterium SS. Trinitatis sola revelatione cognosci potest. Et ratio est, quia omnis demonstratio vel fit a priori, seu per causas; vel a posteriori, seu per effectus; atqui mysterium SS. Trinitatis non potest demonstrari a priori, cum Deus nullam sui causam habeat; neque etiam a posteriori, quia creaturae non dependent a Deo quatenus trinus est; sed quatenus unus est in natura; prodeunt enim ab omnipotencia, quae, cum sit toti Trinitati communis, arguit unitatem naturae, non distinctionem personarum; ergo.

*Objicies 1.* Antiqui Philosophi, Plato, Aristoteles, Trismegistus, imo et Sybillae, mysterium Trinitatis agnovere; &c.

*Resp.* Dato, non concesso, antecedente, *nego conseq.* Nam si Philosophi gentiles aliquam de hoc mysterio notitiam habuerunt, illam habuerunt vel per revelationem ipsis immediate factam, ut de Sybillis tradunt DD. August et Hieron. vel ex lectione librorum Moysis et Prophetarum.

*Objicies 2.* Certissimum est 1. Deum esse intelligentem et volentem. 2. Omne intelligens et volens ter-

minum utriusque actionis producere. 3. Producens et productum distingui realiter. 4. Hunc duplice terminum debere esse substantiam in Deo qui nihil accidentale potest in se admittere. 5. Hos terminos naturam divinam, et quidem individuum participare, quia multiplex non potest esse natura divina, et quidquid in Deo est, necessario Deus est.

*Resp.* Haec probationem non esse demonstrationem, nam mens humana, sibi reicta, cognoscere minime potest actionem intellectus et voluntatis in Deo esse productivam; qualis enim illius erit terminus? an aliquod accidens? at in Deo, utpote ente perfectissimo, nullum esse potest. An substantia? minime; alias cum, juxta leges naturae, omne productum substantia distinguatur a producente, tot essent naturae divinae, quot personae producentes et productae; ergo essent plures dii, quod lumini naturali repugnat; ergo gentilis concludet potius Deum, intelligendo et volendo, nullum producere terminum substantialem et personalem; imo ostendet talem terminum non esse necessarium, quia, factentibus Theologis, Filius et Spiritus Sanctus intelligunt et volunt, nec tamen producunt terminum.

**Q**uaeres 2. *Utrum, supposita fide hujus mysterii, possit variis exemplis illustrari?*

*Resp.* Exemplis illustrari potest, sed imperfectis: illustratur enim et probabile suadetur exemplo mentis humanae; quae licet realiter una, tribus tamen pollet facultatibus, scilicet, intellectu, voluntate, et memoria, quae relative distinguuntur.

## CAPUT III.

### *De processionibus divinis.*

**Q**uaeres 1. *Quid sit processio?*

*Resp.* Est emanatio, seu origo unius ab alio. Alie-

est *immanens*, cuius terminus manet intra suum principium. Alia *transiens*, cuius terminus extra suum principium exit; sic in humanis, filius a patre productus.

Quaeres 2. *Quotuplex sit processio immanens?*

Resp. Duplex, nempe, *physica*, qua unum ab alio procedit actione quadam physica, quae includit mutationem, dependentiam, et diversitatem naturae in eo quod ab alio procedit; talis est nostra intellectio a qua verbum mentale, quod est accidentis, procedit. Et *metaphysica*, qua unum ab alio procedit tanquam a mero principio, seclusa omni imperfectione mutationis, dependentiae, ac diversitatis naturae, remanentibus solum istis duobus respectibus, *a quo aliis*, et, *qui ab alio*: inter principium, et id quod oritur a principio.

Quaeres 3. *Utrum sit in Deo vera processio metaphysica?*

Resp. Affirm. Probaturque ex Script. Joan. 8. Christus de seipso dicit: *Ego ex Deo processi*. Et de Spiritu Sancto. Joan. 15. dicit: *Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre, Spiritum veritatis, qui a Patre procedit*. Hinc. Cone. Nicaenum I. definit, Filium esse, *Deum de Deo*; et Constantin. I. definit, *Spiritu Sanctum ex Patre procedere*.

Objicies 1. Si Filius et Spiritus Sanctus procederent, penderent a suo principio; atqui, &c.

Resp. Dist. maj. Si procederent in tempore et libere, conc. si procederent ab aeterno et necessario, nego maj.

Instabis: Persona producens prior est persona producta; ergo procedit in tempore.

Resp. Dist. ant. Prior est prioritate originis, conc. prioritate temporis et naturae, nego. Porro prioritas originis nullam importat imperfectionem.

Objicies 2. Si sit in Deo processio, erit in Deo mutatio interna: Pater quippe transibit a statu non producentis, ad statum producentis: atqui, &c.

Resp. Nego maj. Nam, sicut ait D. August. *Semper gignit Pater, et semper nascitur Filius*; ergo producit Pater, et producitur Filius: absque ulla sui mutatione.

Quaeres 4. *Quot sint in Deo processiones?*

Resp. Sunt duas, nec plures, nec pauciores; quia in Deo sunt tantum duo modi operandi ad intra, qui in suo quique genere exhaustiuntur productione unius personae infinitae, nimurum unus per intellectum, quo producitur Verbum divinum; et alter per voluntatem, quo producitur Spiritus Sanctus; ergo.

Objicies 1. In Deo processio est infinita; ergo est unica.

Resp. Dist. ant. Est infinita in suo genere, conc. in omni genere, nego. Sic processio per intellectum, est infinita in genere intellectio, et sic unicum est Verbum. Similiter processio per voluntatem, est infinita in genere voluntis, sed nulla est in Deo processio infinita in omni genere.

Objicies 2. Filius et Spiritus Sanctus eundem intellectum, eandemque cum Patre recipiunt voluntatem; ergo, &c.

Resp. Dist. ant. eundem intellectum, eandemque recipiunt voluntatem essentialis, conc. notionalem, nego ant. Intellectus et voluntas essentialis, sunt intelligendi et volendi facultates, quae, sic praecise, sunt infoecundae. Intellectus et voluntas notionales, sunt intelligendi et volendi facultates, quatenus habent adjunctas relationes paternitatis et spirationis activae, quae, ut sic sunt foecundae; porro nec Filius recipit a Patre intellectum notionalem, nec Spiritus Sanctus recipit a Patre et Filio voluntatem notionalem, quia haec sunt exhaustae per eorum productionem.

Quaeres 5. *Quid sit principium divinarum processionum?*

Resp. Est id, a quo divinae personae oriuntur.

*Quaeres 6. Quotuplex est principium divinarum processionum?*

*Resp.* Triplex, nempe, principium *quod*, et principium *quo*, tum proximum, tum remotum.... Principium *quod*, seu, denominationis, est persona producens.... Principium *quo*, remotum, est id per quod persona *mediate* tantum operatur; seu est radix et prima ratio, qua virtus immediate operativa convenit personae producenti.... principium *quo*, proximum, est virtus per quam persona *immediate* operatur.

*Quaeres 7. Quodnam est principium divinarum processionum?*

*Resp.* 1. Principium *quod*, est persona Patris respectu Filii, et personae Patris et Filii, respectu Spiritus Sancti.

*Resp.* 2. Principium *quo remotum*, est natura divina, quia principium *quo proximum*, intellectio nimis et volitio notionales, in natura divina, tanquam in radice, continetur.

*Resp.* 3. Principium *quo proximum*, sunt intellectus et voluntas notionales, seu intellectus et voluntas prout connotant relationes paternitatis et spirationis activae: quia sunt virtus, per quam Pater, vel Pater, et Filius immediate operantur; nimis intellectio notionale Pater immediate producit Filium; volitione vero, Pater et Filius producunt Spiritum Sanctum.

*Objicies 1.* Principium *quo proximum*, non debet esse commune omnibus personis; alioquin omnes et singulae producerent; atque intellectus et voluntas sunt communes omnibus personis; ergo, &c.

*Resp. Dist. min.* Intellectus et voluntas essentials sunt communes, *conc.* notionales, *nego min.*

*Objicies 2. cum Durando:* Natura divina est principium *quo proximum* processionum; ergo.

*Resp. Nego ant.* Repugnat enim huic recepto in Scholis effato, ac in Conc. Lateran. sub Innoc. III.

confirmato: *Natura nec producit, nec producitur; unde opinio Durandi ab omnibus ut temeraria rejicitur.*

*Inst. SS.* Patres dicunt cum Div. August. lib. 15. de Trinit. c. 20. *Verbum esse Filium naturae.* Ergo natura est principium *quo proximum* processionum.

*Resp. Nego conseq.* Quia SS. Patres per verbum natura, non significant principium generationis, sed modum generationis, ut illo termino demonstrarent aduersus Arianos processionem. Filii non esse liberam, sed naturalem et necessariam, proindeque Verbum esse Filium Dei naturalem.

*Objicies 3.* Sola relatio non est eaeteris personis communis; ergo sola relatio est principium *quo proximum* processionis.

*Resp. Nego ant.* Nam intellectus notionalis, quantum nimis adjunctam habet relationem originis, est Patri singularis, et principium *proximum quo generationis.*

*Quaeres 8. Quomodo vocatur processio Verbi a*

*Patre?*

*Resp.* Vocatur generatio, juxta illud Scripturae de Verbo loquentis: *Generationem ejus quis enarrabit?* et illud Symboli Nicaeni, *Genitum, non factum.* Ratio est, quia Verbo convenit verae generationis ratio; nam, generatio definitur, *Origo viventis a vivente, principio conjunctio, in similitudinem naturae, vi processionis formaliter.* Atqui processio Verbi, 1. Est origo viventis a vivente, Joan. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic et dedit Filio habere vitam in semetipso....* 2. Est a principio conjuncto, non quidem per partitionem sui esse, ut sit in creatis, sed per totius naturae communicationem.... 3. Est in similitudinem naturae, et quidem vi processionis formaliter, quia procedit per intellectum, qui tendit in verbum, seu speciem expressam, quae est objecti repraesentatio, accidentalis in creatis, sed substantialis in Deo; unde intel-

lectus creatus producit solum imaginem accidentalem; at vero intellectus divinus utpote perfectissimus, necessario producit substantiam Dei imaginem, proindeque Filium consubstantialem.

*Quaeres 9. Quaenam sit specialis ratio, propter quam processio Verbi dicatur generatio, ac proinde Verbum dicatur Filius?*

*Resp.* Est, quod Verbum a Patre procedat per intellectum, qui praecise quatenus est intellectus perfectissimus, vim habet producendi terminum similem in natura: nam omnis intellectus ex propria sua virtute tendit ad producendum terminum similem objecto cognito, et quidem tanto perfectiori similitudine, quanto perfectior est; atqui intellectus Patris aeterni est perfectissimus; ergo debet producere terminum sibi similem similitudine perfectissima; atqui similitudo perfectissima est similitudo in natura; ergo, &c.

*Quaeres 10. Quaenam sit specialis ratio propter quam processio Spiritus Sancti non dicatur generatio?*

*Resp.* Est quod Spiritus Sanctus, vi actionis quam producitur, non recipiat esse simile Patri et Filio, a quibus procedit. scilicet procedit ab utroque per actum voluntatis, et est terminus amoris divini; atqui terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suae formaliter, nam actus voluntatis per se non est similitudo, sed tantum pondus aliquod, et impulsus in rem amatam; ergo terminus amoris divini non est principio suo similis in natura vi processionis suae formaliter: ergo non est Filius.

*Objicies 1. Spiritus Sanctus est perfecte similis suo principio; ergo procedit per generationem.*

*Resp. Dist. ant.* Est similis suo principio, realiter et identice, *conc.* vi processionis suae formaliter, *nego anteced.* Quod Spiritus Sanctus sit Patri, et Flio perfecte similis, id tantum habet ex eo quod natura divina identificetur amori per quem procedit.

*Inst.* Spiritus Sanctus procedit formaliter ut Deus; ergo perfecte similis est Patri et Filio vi processionis suae.

*Resp. Nego ant.* Nam Spiritus Sanctus procedit tantum ut impulsus Patris et Filii, qui licet a parte rei sit Deus propter sui cum divinitate identitatem, tamen sub ratione qua est impulsus, non est Deus, quia non procedit per actionem quae per se et immediate naturam divinam communicet.

*Objicies 2. Voluntas reduplicative ut est voluntas perfectissima, producit unionem perfectissimam, objecti amati cum principio amante; atqui unio perfectissima, est unio in natura; ergo voluntas perfectissima producit unionem in natura.*

*Resp. Nego min.* Nam voluntas, prout remanet in linea voluntatis, non ad aliam tendit unionem, quam ad unionem per affectum, quae consequenter nunquam potest per se pertingere ad efficiendam unionem identicam, hoc est, ad efficiendum unum identice ex principio amante et objecto amato.

*Quaeres 11. Ex quarum rerum cognitione procedat Verbum?*

*Resp.* Procedit essentialiter et necessario ex cognitione non solum essentiae divinae et attributorum absolutorum, ut omnes fatentur, sed etiam ex cognitione trium personarum, et creaturarum possibilium. Nam procedit necessario ex cognitione comprehensiva essentiae divinae; atqui cognitione comprehensiva essentiae divinae est ipsam cognitione attributorum divinorum, personarum divinarum et creaturarum possibilium, quae cum natura divina identificantur; ergo &c.

*Objicies:* Cognitione, ex qua Verbum procedit, Verbo producto prior est; item productio Verbi prior est productione Spiritus Sancti; ergo Verbum non potest produci ex cognitione sui ipsis et Spiritus Sancti.

*Resp. Dist. ant.* Prior est prioritate originis, *conc.* prioritate temporis, *nego ant.* Cum ergo in quocumque \*

instanti reali simul extiterint Pater, Verbum, et Spiritus Sanctus, nulla est contradictio, quod Verbum producatur ex cognitione trium personarum.

*Inst.* Verbum est imago illius objecti, ex cuius cognitione procedit; atqui non est imago sui ipsius, et Spiritus Sancti; ergo, &c.

*Resp.* *Dist. maj.* Est imago objecti ex cuius cognitione procedit, repraesentativa, *conc.* naturalis, *nego maj.* Ad imaginem repraesentativam sufficit ut procedat objective ex re cognita; sed ad imaginem naturalem requiritur, ut procedat active et productive: porro cum Verbum non producatur a cognitione sui ipsius et Spiritus Sancti, nisi objective, id est, quatenus sunt objectum paternae conditionis, consequens est, ut non sit eorum imago naturalis, sed solius Patris, a quo solo active procedit.

*Quaeres 12.* *Utrum Verbum procedat etiam ex cognitione omnium creaturarum in aliqua temporis differentia existentium?*

*Resp.* Procedit, non quidem necessario, et essentia-  
liter, quia, cum sit summe necessarium, non procedit necessario et essentialiter, nisi ex cognitione absolute necessaria; sed ex earum cognitione procedit concomitanter et quasi consequenter: quia Verbum procedit ex cognitione omnium rerum quas repraesentant; atqui res omnes in aliqua temporis differentia existentes, repraesentant; ergo &c.

*Objicies:* Licet nulla foret creatura praeterita, praesens, aut futura, Verbum semper esset idem Verbum; ergo non procedit ex earum cognitione.

*Resp. Dist. ant.* Esset semper idem Verbum quoad se, *conc.* quoad repraesentationem concomitantem et quasi consequentem, *nego ant.* Si enim nullae essent creaturae, nullas utique Verbum repraesentaret.

*Quaeres 13.* *Utrum Spiritus Sanctus procedat a Patre et Filio?*

*Resp.* De fide est ab utroque procedere. Ita enim definitum est in Conc. General. Lateren. IV. Lugdunensi II., et Florentino in definitione fidei, quae anno 1439 solemniter promulgata est, probantibus etiam Graecis, qui a doctrina catholica postmodum recessere, negantque pertinaciter Spiritum Sanctum a Filio procedere, contra quos

*Prob. 1. ex Script.* Ad Galat. 4. dicitur; *Misit Deus Spiritum Filii sui in corda vestra.* Joan. 16. *Si non abiiero, Paracletus non veniet ad vos; si autem abiiero, mittam eum ad vos.... ille, Spiritus Sanctus, me clarificabit, quia de meo accipiet.* Atqui Spiritus Sanctus, non dicitur Spiritus Filii, non dicitur mitti a Filio, non dicitur accipere a Filio, nisi quia a Filio procedit; ergo &c.

*Prob. 2. ex tradit.* PP. Graecorum. S. Martialis, *Epist. ad Burdigalenses*, ait: *Spiritus Domini.... procedens est a Patre et Verbo.* S. Athanas. in Symbolo: *Spiritus Sanctus a Patre et Filio.... procedens, S. Chrysost. Homil. 2. in Symbolum: In Spiritum Sanctum credimus, qui, procedens de Patre et Filio,* charitate conjungitur. S. Cyrillus in thesauro: *Cum Spiritus Sanctus.... procedat a Patre et Filio, manifestum est ex divina essentia ipsum esse.*

*Objicies 1.* Patres Graeci passim scribunt Spiritum Sanctum ex Patre per Filium procedere; ergo non crediderunt eum ex Filio procedere.

*Resp. Nego conseq.* Nam PP. Graeci per particulias *ex*, et *per*, idem significant, usu tamen receptum fuit apud ipsos ut particula *ex*, uterentur ad designandum principium sine principio, et particula *per*, ad designandum principium *ex* principio.

*Objicies 2.* Conc. Constantinop. I. Symbolo Niceno addidit haec verba: *Qui a Patre procedit, nulla facta mentione Filii;* ergo &c.

*Resp. Nego conseq.* Ideo enim Concil. Constanti-  
nop. non adjecit particulam, *Filioque*, non quod Spi-

ritus Sanctus non procederet a Filio, sed quia agebat tantum contra Macedonium et Eunomium, qui asserabant Spiritum Sanctum a solo Filio procedere, eumque creaturam esse: et ideo satis fuit Concilio definire Spiritum Sanctum procedere a Patre, non negando, sed supponendo eum procedere etiam a Filio.

*Objicies 3.* Si Spiritus Sanctus a Patre Filioque procederet, essent duo principia Spiritus Sancti; falsum conseq. ergo.

*Resp. Nego seq. maj.* Quia ad multiplicitatem principiorum, non sufficit multiplicitas suppositorum, sed insuper requiritur multiplicitas virtutis spirativae; at qui in Patre et Filio una eademque est virtus spirativa, cum ei sit unica eademque voluntas: ergo, &c.

*Quaeres 14.* *Utrum particula, Filioque, jure ac rationabiliter a Concil. Lagdunensi II. addita fuerit Symbolo Nicaeno?*

*Resp. Affirm.* Quia 1, definierunt Patres Florentini: *Definimus;* inquit, *explicationem illorum verborum, Filioque, veritatis declarandae gratia, et imminente tunc necessitate, licet et rationabiliter Symbolo fuisse appositam....* 2. Quia Ecclesia habet jus novam particulam Symbolo addendi, quoties id neccesarium judicaverit ad fidem catholicam, contra insurgentes haereses, clarius explicandam.... 3. Quia particula *Filioque,* in Symbolo jam continebatur in hac voce: *Qui ex Patre procedit;* non enim potest a Patre procedere, quin procedat etiam a Filio, qui eadem cum Patre habet vim spirandi.

*Objicies:* Concil. Ephesinum expresse prohibuit ne quis alteram a Nicaena formulam proferret aut conscriberet; sed qui Symbolo addit particulam, *Filioque,* alteram fidem profert, &c.

*Resp. Nego min.* Nam ille solus alteram fidem profert, qui Symbolo addit aliquid fidei Nicaene contrarium, quod non facit qui Symbolo addit particulam,

*Filioque,* quae est fidei Nicaenae expositio et explicatio. *Quares 15.* *Utrum Spiritus Sanctus a Filio distinguatur, si per impossibile ab eo non procederet?*

*Resp.* Non distinguetur realiter, quia non esset fundamentum distinctionis: nam sola processio unius personae ab alia, est distinctionis fundamentum, juxta effatum Div. Anselmi. *Omnia in divinis sunt unum et idem, ubi non obviat rationis oppositio;* atqui si Spiritus Sanctus non procederet a Filio, nulla inter ipsum et Filium esset relationis oppositio, ergo, &c.

*Objicies 1.* Quamvis Spiritus Sanctus non procederet a Filio, duae adhuc essent processiones, una per intellectum, altera per voluntatem; ergo in illa hypothesi Spiritus Sanctus adhuc distinguetur a Filio.

*Resp. Dist. ant.* Duae essent processiones, secundum rationem distinctae, *conc.* realiter distinctae, *nego ant.* Nam in illa hypothesi unica realiter processio foret, et una persona producta, quae secundum quod per intellectum procederet, Filius; secundum quod per voluntatem, Spiritus Sanctus diceretur.

*Inst.* Saltem illae duae processiones essent oppositiae disparate, neque enim una esset altera; atqui oppositio disparate sufficit ad fundandam realem personarum distinctionem; ergo.

*Resp. Nego min.* Nam ad distinctionem personarum realem, requiritur oppositio relativa originis, ut patet in Patre, in quo paternitas et spiratio activa opponuntur disparate, nec tamen realiter distinguuntur in Patre.

*Objicies 2.* *Filiatio et spiratio passiva distinguuntur realiter; atqui inter utrumque est oppositio disparata tantum; ergo, &c.*

*Resp. Nego min.* Nam est oppositio relativa ratione spiracionis activae, quae tam exigit esse in Filio, quam in Patre, quatenus est amor mutuus Patris et Filii, cuius amoris terminus est Spiritus Sanctus.

## CAPUT IV.

## De Personalitatibus et relationibus divinis.

Quaeres 1. **Quid sit persona?**

**Resp.** Est substantia intellectualis, per se perfecte subsistens, et ultimo completa.

Dicitur 1. **Substantia intellectualis:** quia accidentum sit ens alteri inhaerens, non est persona, sicut nec ens irrationale, quod solum dicitur, **Hypostasis, substantia, et suppositum.**

Dicitur 2. **Per se perfecte subsistens,** id est, quod non communicetur alteri tanquam supposito, ita ut, nec in esse, nec in operari ab alio dependeat. Hinc humanitas Christi non est persona, quia unitur Verbo divino tanquam supposito, a quo dependet in esse et in operari.

Dicitur 3. **Ultimo completa,** id est, quod non ordinatur ad aliud, ut cum illo constitutum totum; hinc nec manus, nec anima rationalis, sunt personae.

Quaeres 2. **Quid sit personalitas, seu subsistentia?**

**Resp.** Est forma, seu modificatio naturae intellectualis, per quam natura constituitur per se perfecte subsistens, et ultimo completa.

Quaeres 3. **Quot sunt subsistentiae in Deo?**

**Resp.** Sunt tres relativae: nam in Deo sunt tres personae, ut fides docet; ergo et tres subsistentiae relativae, nimis, paternitas, filiatio, et spiratio passiva.

Quaeres 4. **Utrum praeter tres subsistentias relativas, quarta admittenda sit, communis et absoluta?**

**Resp. Negat.** Quia effectus formalis subsistentiae, est constituere veram personam; ergo si esset in Deo subsistentia absoluta et communis, essent in Deo quatuor personae, quod fidei catholicae repugnat. Praeterea illa subsistentia vel esset communicabilis alteri, vel non; si primum, esset in Deo unica subsistentia, et

## De Deo Trino.

169

consequenter unicā persona, quod repugnat fidici catholicā.

**Objicies 1.** Deus praecesis relationibus, est per se subsistens; atqui non est per se subsistens subsistētia relativa; ergo subsistentia absoluta.

**Resp. Dist. ant.** Est per se subsistens, quatenus tō per se subsistens opponitur accidenti, conc. quatenus dicit naturam ultimo terminatam, nego ant. Porro hoc ultimo sensu accipimus nomen subsistentiae.

**Objicies 2.** Subsistētia absoluta, est perfectio; ergo Deo tribuenda.

**Resp. Dist. ant.** Est perfectio non excludēt imperfectionem, conc. omnem imperfectionem excludens, nego ant. Itaque subsistentia absoluta redderet naturam divinam incommunicabilem, unde in Deo esset unicā persona, quod est maxime imperfectum.

Quaeres 5. **Quid sit relatio originis?**

**Resp.** Est, Ordo, seu respectus unius personae, divinæ ad alteram. Potest spectari secundum esse in, id est, prout afficit subjectum in quo est; et secundum esse ad, id est, prout respicit terminum ad quem refertur.

Quaeres 6. **Quot sint in Deo relationes?**

**Resp.** Sunt quatuor, nempe paternitas, filiatio, spiratio activa, et spiratio passiva: quia singulis processionibus duae respondent relationes, una producentis ad productum, altera producti ad producentem: atqui duae sunt in Deo processiones: ergo.

Quaeres 7. **Utrum relationes originis sint reales?**

**Resp. Affirm.** Nam 1. fundatur in reali origine unius personae ab alia. 2. Per eas personae ab invicem realiter distinguuntur; atqui distinctionis realis fundamentum, reale est; ergo. 3 In Deo existunt absque mentis opera, et ni mīne cogitante; ergo.

**Objicies:** Relatio realis dicit dependentiam unius ab altero; ergo in Deo nulla est relatio realis.

**Resp. Dist. ant.** Dicit dependentiam improprie di-

*esse in*, quia sic spectatae modificant ac determinant naturam divinam ad esse Patris, aut Filii, aut Spiritus Sancti. Sive spectentur secundum *esse ad*, ut docent Thomistae contra Scotistas, quia, etiam sic spectatae sunt in Deo, nemine cogitante; at quidquid est in Deo realiter, est perfectio: ergo &c.

*Objicies:* Si relationes secundum *esse ad*, essent perfectiones, sequeretur, 1. tres personas simul sumptas plus continere perfectionis, quam una sola persona; haereticum conseq. ergo, &c. *Sequeretur* 2. unam personam non habere omnes perfectiones.

*Resp. ad. 1. Nego ant.* Quia una persona, non minus quam tres personae, habet divinam naturam, quae est omnis perfectio; ergo non minus est perfecta.

*Resp. ad. 2. Dist. ant.* Sequeretur unam personam non habere omnes perfectiones simpliciter simples, *nego ant.* simples tantum, *subdist.* formaliter et actu, *conc.* eminenter, *nego ant.* Itaque relationes in Deo non sunt perfectiones simpliciter simples, sed sunt perfectiones simples tantum, quae in Deo continentur eminenter tantum et identice, propter humanam earum cum essentia divina identitatem.

*Quaeres 10. Quodnam sit munus divinarum relationum?*

*Resp.* Est personas constituere, et unam personam ab aliis distinguere; quia per id personae divinae constituantur et distinguuntur, quod singulare est, non commune; atqui solum relativum in Trinitate singulare est; ergo.

#### C A P U T V.

*De his quae tribus personis sunt communia.*

*Quaeres 1. Quidam sint tribus personis communia?*

*Resp.* Tria, nempe, notio, circumcessio, et missio.

*Quaeres 2. Quid sit notio?*

ctam, et connexionis, *conc.* proprie dictam et causalem, *nego ant.* Itaque relationes divinae efficiunt quidem ut personae habeant connexionem cognitionis et existentiae, correlata enim sunt simul natura et cognitione; cum non possit esse et cognosci Pater, quin sit, et agnoscat Filius; sed non efficiunt ut personae a se invicem pendeant tanquam effectus a causa, quia per ilias natura non producitur, sed communicatur.

*Quaeres 8. Quomodo relationes divinae inter se distinguantur?*

*Resp.* Vel sibi mutuo opponuntur, ut sunt paternitas, filatio, et spiratio passiva, vel non. *Si primum*, realiter distinguuntur; *si secundum*, non distinguuntur realiter; quia in divinis omnia sunt unum et idem, ubi non obviat relationis oppositio. Hinc spiratio activa non distinguitur realiter a paternitate et filiatione.

*Objicies 1.* Paternitas et filatio non opponuntur spirationi passivae; ergo ab illa non distinguuntur realiter.

*Resp. Dist. ant.* Non opponuntur per se et immediate, *conc.* mediante spiratione activa, cum qua identificantur, *nego ant.*

*Objicies 2.* Paternitas et spiratio activa habent terminos realiter distinctos; ergo distinguuntur realiter.

*Resp. nego conseq.* Quia ad productionem terminorum realiter distinctorum, sufficit distinctio virtualis; porro paternitas et spiratio activa distinguuntur virtualiter.

*Inst.* Spiratio activa in Patre communicatur Filio, paternitas non communicatur; ergo distinguuntur realiter.

*Resp. Nego conseq.* Eadem quippe res sub diverso respectu communicatur, et non communicatur: sic licet paternitas et spiratio activa sint in Patre eadem res; tamen communicatur Filio, quatenus ei non opponitur relative: non communicatur, quatenus ei relative opponitur. Porro sola paternitas opponitur Filio relative.

*Quaeres 9. Utrum relationes divinae sint perfectiones?*

*Resp.* Sunt perfectiones, sive spectentur secundum

*Resp.* Est, nota quaedam peculiaris, qua personae divinae dignoscuntur, et ab invicem secernuntur. Unde unaquaque notio non potest esse communis tribus personis.

Quaeres 3. Quot sint in Deo notiones?

*Resp.* Sunt quinque, nec plures, nec pauciores; innascibilitas, nimirum, paternitas, filatio, spiratio activa, et spiratio passiva. Nam per paternitatem et filiationem, Pater et Filius dignoscuntur, et a se invicem secernuntur; et per spirationem activam et spirationem passivam, Pater et Filius distinguuntur a Spiritu Sancto, sicutque ternarius numerus personarum ostenditur. Et ne plures personae cogitentur quam tres, necessario addi debet, innascibilitas, per quam ostenditur Patrem a nullo principio esse; ergo quinque admittenda sunt in Deo notiones.

*Objicies 1.* Innascibilitas, summa pro negatione processio ab alio, non dicit perfectionem; ergo non est notio.

*Resp. Nego ant.* Dicit enim esse principium fontale totius divinitatis; atqui hoc dicit summam perfectionem; ergo, &c.

*Inst.* Nascibilitas, seu processio ab alio, non dicit imperfectionem; ergo innascibilitas non dicit perfectionem.

*Resp. Nego conseq.* Utrumque enim in Deo est aquae perfectum, non procedere et procedere, quia utrumque eandem naturam divinam participat; porro natura divina est omnis perfectio.

*Objicies 2.* Tam improductivitas in Spiritu Sancto dicenda est notio, quam innascibilitas in Patre; ergo sunt plus quam quinque notiones.

*Resp. nego ant.* Disparitas est, quod innascibilitas aliquam exhibet dignitatem in Patre; nam ex eo quod non producatur, sequitur quod sit principium totius deitatis, sed improductivitas nullam importat dignitatem, alias perfectior esset illa creatura, quae producere non posset, quod falsum est.

Quaeres 4. Quid sit circumcessio?

*Resp.* Est, personarum divinarum intima in se tumuo existentia; quare ad illam duo requiruntur, nimirum identitas naturae, et distinctio personarum.

Quaeres 5. Utrum detur in Deo circumcessio personarum?

*Resp. affirm.* Nam Christus, Joan. 14. dicit: Non creditis quia ego in Patre, et Pater in me est? Et paulo post, Pater in me manens, ipse facit opera. Ratio est, quia habent unam eademque naturam indivisibilem.

*Objicies;* Si Pater sit in Filio, Filius erit Pater, nam in Filio erit paternitas; haereticum consequens; ergo.

*Resp. Nego seq. ant. et dist. probationem;* in Filio erit paternitas, identice, ratione nimirum essentiae divinae, quae una eademque numero est in tribus personis, conc. formaliter, id est, per modum formae hypostaticae, et proprietatis personalis, cuius est constitutere personam, nego.

Quaeres 6. Quid sit divinarum personarum missio?

*Resp.* Est, processio unius personae ab alia, cum habitudine ad novum existendi modum in creaturis.

Dicitur 1. *Processio*, quia persona, quae non procedit, proprie non mittitur; *Pater*, inquit D. August. lib. 4. de Trinit. c. 20. non dicitur missus; non enim habet ex quo procedat.

Dicitur 2. *Cum habitudine ad novum existendi modum*, &c. ut designetur quod missio fiat in tempore, nec sit aeterna, ex parte respectus quem dicit ad creaturam, vel locum in quo incipit esse novo modo.

Quaeres 7. An detur missio in divinis?

*Resp. affirm.* Dicitur enim, Joan. 8. Solus non sum, sed ego, et qui misit me, Pater. Et Joan. 15. Cum venerū Paracletus, quem ego mittam vobis a Patre.

Quaeres 8. Quotuplex sit missio in divinis?

*Resp.* Duplex, visibilis tempe et invisibilis. *Missio visibilis*, est ea, quae fit in specie sensibili:

talis fuit missio Filii in carne assumpta, et Spiritus Sancti in specie columbae super Christum.

*Missio invisibilis*, est ea, quae fit sine specie sensibili, per gratiam interiorem, qua Deus homines sanctificat.

## DISSERTATIO II.

### *De personis divinis in particulari.*

**N**ota. Cum jam multa de personis divinis in particulari exposuerimus, restat hic de earum nominibus, tam propriis, quam appropriatis.

Nomen *proprium*, est illud, quod uni personae realiter ita convenit, ut alteri minime convenire possit.

Nomen *appropriatum*, est illud, quod, licet realiter toti Trinitati sit commune, tamen, propter quamdam rationem specialem, uni personae singulari modo tribuitur.

Quaeres 1. *Quot sint nomina primae personae propriae?*

Resp. Dicitur 1. *Pater*, quia proprio generat Filium, 2. *Ingenita*, non quia non nascitur; hoc enim sensu Spiritus Sanctus est ingenitus; sed quia non producitur. 3. *Principium fontale totius divinitatis*, quia Filio et Spiritui Sancto divinitatem ex sua infinita foecunditate communicat: unde *divinitas* sumitur hic in concreto, pro personis quae a Patre ducunt originem.

Quaeres 2. *Utrum Pater possit etiam dici causa, et auctor Filii et Spiritus Sancti?*

Resp. 1. Juxta usum latinae vocis non potest ita vocari; quia causa apud latinos definitur, *principium influens esse in aliud*: unde importat diversitatem substantiae et dependentiam unius ab alio.

Resp. 2. Apud Graecos *Pater* saepius dicitur causa et auctor Filii et Spiritus Sancti; sed improprie et lato modo, quia per illas voces intelligunt duntaxat principi-

pium originis, ut luculenter explicat Cardinalis Bessarion, sess 25. *Concil. Florentini*.

Quaeres 3. *Quodnam est nomen primae personae appropriatum?*

Resp. Per appropriationem dicitur, *primum creaturarum principium*; quare vocatur, *Pater noster, creator omnium*. Congruenter enim ratio primi principii creaturarum appropriatur ei, qui primum est in Trinitate principium.

Quaeres 4. *Quaenam sunt nomina secundae personae propria?*

Resp. Dicitur 1. *Filius*, quia procedit per veram generationem. 2. *Verbum*, quia est terminus ab intellectu Patris foecundo productus. 3. *Imago*, quia est similis Patri in natura, vi processionis sua formaliter, ut supra probavimus.

Quaeres 5. *Quodnam est nomen appropriatum Filio?*

Resp. Est, *sapientia*: cum etiam sapientia sit virtus intellectus, congruentissime appropriatur Filio, qui est terminus sapientiae intellectus.

Quaeres 6. *Quaenam sint nomina tertiae personae propria?*

Resp. Dicitur 1. *Spiritus Sanctus*, non quidem hoc sensu quod sit immaterialis et omnis impuritatis expersus; sic enim est nomen essentiale, commune tribus personis, sed hoc sensu, quod sit *spirata*, et quidem per voluntatem, a qua est omnis sanctitas. 2. *Donum*, quia procedit ex voluntatis inclinatione, cuius est dare gratuitum et sine spe retributionis; ergo est donum notionalem sumptum. 3. *Amor*, quia est terminus subsistens ac personalis mutui amoris Patris et Filii.

Quaeres 7. *Quaenam sunt nomina Spiritui Sancto appropriata?*

Resp. Ipsi tribuuntur omnia opera bonitatis, charitatis, et misericordiae; quia ex perfectissima charitate procedit. Hinc vocatur *Paraclitus*, id est, consolator;